

ostentator, quam peritus; loquaculus sine eruditione; in verbis ac sententiis putidulus. Quæ de significato vocum differit, sunt frivola, & plerunque imperita, ac falsa. Legendus est quidem, sed ita, ut te rem levem scias inspicere. Cæteri autem Scriptores in grammatica eum haud dubie extollunt; quemadmodum Augustinus lib.9. de civ. Dei c.4. appellavit virum elegantissimi eloquii, & multæ ac facundæ scientiæ: Sed in historia nemo est, qui eum laudet. Unde a Scioppio, de stylo, pag.208. Novator non magni pretii dictus est; ab Erasmo, in Ciceronian. scribitur: Auli Gellii candidissimam phrasin mirantur Eruditi; sed nec argumentum convenit, nec phrasis, primum affectata, & verborum copia pene superfluens, rerum supellectile frugalis. Et Scaliger denique in Scalligerana secunda, quod grammaticam etiam respicit, dolet, quod Gellii liber tot barbaris vocibus scatet.

Quum autem Gellius conventus illos agere stude-
 rit, ut hyemalium noctium prolixitas tædio amicis
 non esset, consequens sane erat, ut ea in medium ad-
 duceret, quæ sociis solatium ac risum incitassent.
 Hoc, ni fallimur, Gellius ipse fatetur in sui Operis co-
 ronide: *Sed quoniam longinquis per hyemem noctibus
 in agro, sicut dixi, terræ Atticæ commentationes hæc
 laudare ac facere exorti sumus; idcirco eas inscripsimus,
 Noctium Atticarum.* Studiosior proinde fuit, ut ami-
 cis placeret, quam ut veritatem assequeretur; & pro
 nihilo habuit scommata in alios proferre, dummodo
 fociis jucunda pararet. Quam ergo auctoritatem dicta
 sua facient, quando Legentes comperient, ipsum ma-
 gis nugis, quam historiis, plus solatio, quam pro-
 fectui, non tam veritati, quam fabulis studuisse?

Ipsum Gellii nomen importat risum; unde apud